



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 18. Inhumanæ Calvinistarum devastationes in Francia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

ac primo quidem *superstitiosam*, ita, ut Sæcul. XVI. A. C. 1562.
 non liceat unquam a Diæcesi discedere.

II. *Hypocriticam*, qualis est eorum, qui corpore tantum præsentem sunt: III. *veram, realem, & effectivalem*, ut videlicet Episcopus per se ipsum pascat gregem, verbo, vitæ exemplo, & Sacramentis, porro postremam hanc residentiam jure divino imperatam dixit, adeoque necessariam, ut non fas sit Episcopo abesse, nisi justis, & legitimis præpeditis fuerit causis; id vero comprobabat Sancti Augustini testimonio. Epist. 135.

§. XVIII.

Inhumane Calvinistarum vastationes.

Cum interea hæc in Synodo agitantur, Calvinistæ in Francia Belcar. comm. l. 29. num. 42. indies viribus aucti crudelem in modum Regnum depopulabantur; equidem Rex, quantum in ipso erat, eorum sævitiis sese opponebat, ac suorum hostium cunctatione in rem versa Pictavium, ac postea Bituricum recuperabat, ex quibus urbibus postrema circa Mensis Augusti exitum deditione, prima vero per Cardinalem Santandream die prima ejusdem Mensis vi, murisque dejectis capta fuit. Antea Calvinistæ in utraque urbe æque, ac in aliis, quas suæ potestati subjecerant, impotentibus furiis debacchabantur, &

Sæcul. XVI. quidem in Bituricensi civitate nec res
 A C 1562. verentia a concremandis Beatæ Jo-
 næ, quæ prima Ludovici XII. uxit
 erat, reliquiis eos cohibebat: in Au-
 relianensi autem urbe, cui Condæus
 Princeps præerat, Sanctæ Crucis Ec-
 clesiam in equorum stabulum commu-
 tabant: imo nequidem Cleriaci, quam
 urbem Ludovicus XI. condiderat, hujus
 Regis cineribus, multo minus vero
 Longevillarum Ducum ossibus ibidem
 depositis parcebant, sed subjecto igne,
 continuatoque incendio cuncta in cine-
 res redigebant. Præterea Engolismæ
 postremum hujus ditionis Comitem
 Joannem, qui Francisci I. Regis Avus
 & Caroli IX. Tritavus erat, indignum
 in modum habebant, ejusque corpus
 quod centum abhinc annis a corruptio-
 ne immune servabatur, omnium lu-
 dibrio exponebant, ac plumbeam illius
 sepulcralem tumbam liquefieri, & po-
 tius insultandi libidine, quam neces-
 sitate adacti ex ea plumbeas glandes
 confici jubebant: Denique Vindocini
 Principum ex Borbonica stirpe ortorum
 cadavera comburere non abhorrebant.

§. XIX.

*Calvinistarum rabies contra S. Mar-
 tini Turonensis reliquias.*

Verum